



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

II. De Signo fœderis, hoc est, Circumcisionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

arbor aestiua recreatur umbra, Quod latus terra  
nebulæ, malusq; Iupiter urget, ut Horatij carmine  
utimur.

## II.

DE SIGNO FOEDE-  
ris, hoc est, de Circumci-  
sione.

Grauißima est doctrina de Circumcisione, cuius  
summam Sex Capitibus inclusam recitabo.

PRIMO. Semper Deus promissioni addidit  
externa signa in oculos incurrentia, & commune  
facientia de promissione, quæ Sacramenta uocantur.  
Quare cum Abrahamæ traderet Deus promissionem  
renouatam, adiunxit signum Circumcisionis, quod  
ideo in illa corporis parte institutum est, ut com-  
monefaceret de promissione, quæ loquitur de uen-  
turo Semine.

Secundo, ut significaretur hanc naturam mer-  
sam in peccatum præcidendam & abolendam esse  
& quod oporteat eam restitui, per, & propter il-  
lud Semen benedictum.

Tertio, Vt moneret Deum uelle, ut homines re-  
uerenter utantur semine & toto opere generatio-  
nis, quod in eum usum præcipue conferendum est, ut  
augeatur numerus cultorum Dei.

Vt au-



Vt autem caterorum Sacramentorum, sic Circumcisionis quoque Fines principales sunt.

Primus, Confirmatio fidei, seu ut Rom. 4. Paulus nominat, Sigillum iusticiae fidei, id est, testificatio quo Deus ostendit se recepisse Abraham credentem propter promissum Semen, & quo testimonio Abraham commonefactus, de uoluntate Dei, suam fidem confirmat.

2. Vt promissio de Semine certius ad posteritatem propagari posset, & memoria promissionis esset diuturnior. Ideo ritus Circumcisionis in ea parte corporis, pictura est promissionis.

3. Discrimen inter posteritatem Abraham & ceteras gentes.

4. Admonebat de Circumcisione spirituali, seu de poenitentia, in qua destruitur natura immunda, & tollitur praeputium peccati, & fit renouatio naturae per Spiritum sanctum, & inchoatio nouae iusticiae propter Semen promissum. De hac spirituali Circumcisione saepe postea dicitur Leuit. 26. Donec erubescat incircumcisa mens eorum.

Deuteronom. 10. Circumcidite praeputium cordium uestri.

Deut. 10. Circumcidet Dominus cor eorum.  
Ierem. 4. Circumcidimini Domino, & auferet praeputium cordium uestrorum.

Ierem. 6. Incircumcise aures eorum.



Ier. 9. Omnes Gentes habent præputium. Omnes autem domus Israël incircumcisi sunt corde.

SECUNDO. Vſitata Regula consideretur.

Non Sacramentum ſed fides amplectens promiſſionem, cui additum eſt Sacramentum, iuſtificat. Quare conſantiſſimè damnandi ſunt furores Iudæorum, qui exiſtimabant prodeſſe Circumciſionem, & mereri remiſſionem peccatorum, ac iuſticiam ex opere operato. Hanc Phariſaicam perſuaſionem ſeueriſſimè damnat Paulus Rom. 2. & Rom. 4. & ad Galatas ideo tam acriter de abrogatione Circumciſionis dimicat, ne lux doctrine de iuſticia fidei extingueretur, uidelicet, quod propter ſolum Chriſtum Mediatorem, credentes habeant remiſſionem peccatorum, & uitam æternam, non propter Circumciſionem aut alias ceremonias. Et Act. 15. Petrus, cum contenderent aliqui Circumciſionem neceſſariam eſſe, inquit, Credimus nos per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſaluari, quemadmodum & patres noſtri ſaluati ſunt.

TERTIO. Rom. 2. Paulus duplicem Circumciſionem facit. Circumciſio literæ eſt externa ceremonia, ſine fide ſeu fiducia miſericordiæ, ſine uera inuocatione in agnitione Mediatoris, deniq; ſine Spiritu ſancto. Circumciſio Spiritus eſt pœnitentia & fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Mediatorem



torem, de quo externa ceremonia communis  
 mentes, quæ est signum & pignus promissionum.  
 Hæc Circumcisio spiritualis, omnibus pijs omnibus  
 temporibus necessaria est, de qua concionatur Paulus  
 Rom. 2. Colos. 2. Philip. 3. Moses Deut. 10. & Jerem.  
 Jerem. 4. 6. 9.

QUARTO. Ut ceteræ Mosaicæ ceremoniæ  
 sic Circumcisio quoq; post exhibitum Christum  
 rogata est, ut grauissimæ disputationes Pauli  
 Galatas, & reliquorum Apostolorum Actor. 15.  
 stantur.

Obseruent autem iuniores usitati Argumenti  
 plicationem.

Voluntas Dei est æterna & immutabilis.  
 Circumcisio est uoluntate Dei instituta.  
 Ergo non debuit abrogari.

Respondeo ad Minorem. Est instituta, ut duraret  
 usq; ad Christum, Abrahæ promissum, de quo dicitur  
 tur: HVNC AVDITE.

Quod æternum est non debet aboleri,  
 Circumcisio hic uocatur æternum factum,  
 Ergo non debet aboleri.

Respondeo ad Minorem. Vox Ebræa significat  
 non infinitam æternitatem, sed longum tempus.  
 Jerem. 25. uocatur æternum tempus 70 annorum.  
 Deinde circumcisio in singulis fuit signum æterni  
 factum.



fœderis, quo ad omnem aeternitatem à Deo recipiebantur.

QVINTO. Cause propter quas Christus uoluit circumcidi, tres sunt.

1. Ut esset testimonium, quod natus sit ex posteritate Abrahamæ.
2. Quia uoluit esse membrum Ecclesiæ Iudaicæ.
3. Et principalis. Ut significaret se subijci Legi, & præcidi propter totum genus humanum, in se deriuari iram Patris, & se fieri peccatum pro nobis.

De hac causa Paulus inquit Galat. 4. Factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret.

Et Christus Matth. 5. Non ueni soluere Legem, sed implere. Implet autem quatuor modis.

1. Præstando perfectam obedientiam.
2. Sustinendo pœnam pro nobis.
3. Restituendo Legem in nobis per Spiritum sanctum, quod fit in hac uita inchoatione et postea consummatione.
4. Sanciendo et confirmando doctrinam seu illustrando uerum intellectum Legis in Ecclesia.

SEXTO. Doctrina de Infantum Baptismo hic consideretur. Ut enim Infantes Iudaici per Circumcisionem fiebant membra Ecclesiæ Dei, & participes fœderis seu promissionis diuinæ: sic nostri quoque Infantes per Baptismum Ecclesiæ inserendi sunt.

Z Cu m



Cum enim Regnum Dei ad infantes quoque pertinet, ut dicitur, Talium est Regnum caelorum, necesse est eos ex aqua et spiritu renasci, Nam nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non ueniet in Regnum Dei. Sed totam disputationem de Baptismo infantum, ex locis studiosi ad huius capituli doctrinam illustrandam transferant.

## TEXTVS.

Abraham pater multarum gentium

אברהם componitur ex tribus dictionibus.

אב Ab, pater.

רם Ram, excelsus.

המון Hamon, multitudo. Vnde est

Mammon in Euangelio.

Manet autem huius tertiae dictionis uestigium una tantum litera He.

Alij hoc modo componunt. אב Ab, pater.

ר Syncope pro רב multus, magnus, copiosus.

הם Ham, pro המון Hamon, multitudinis.

Haec, Gentium, non tantum ortarum ex ipso secunda carne, sed etiam per fidem promissionis ipsi tractatae insertarum Ecclesiae.

Nominibus אברם Abram et שרי Sarai, quae prius habuerunt, additur una litera ex nomine

יהוה Iehoua, quia sunt parentes Christi, qui est nomen Abrahae, et Iehoua iusticia nostra.



Sarai.) שרר *domina mea*

שרר Sara, *domina, princeps, uel ut Paulus Galatas 4. interpretatur, libera. Hinc משרר libertas, Esai. 6. libertas super humerum eius.*

Abraham risit in corde suo.)

Hoc est, Audiens promissionem de Semine ex Sara orituro, eamq; firmissima fide amplectens, toto pectore letatur, & ingenti gaudio exultat. Ioh. 8. Abraham uidit diem meum, & gauisus est. Admirandus inquit, Num centum annos nato nascetur Filius, idq; ex nonagenaria Sara & c. Hæc non esse dubitantis sed certissimæ fidei uerba Paulus clarè testatur, Rom. 4. Abraham non imbecillam fidem habuit, nec considerauit suum corpus iam emortuum, qui ferè centum natus esset annos, nec emortuam uulua Sara, sed in promissionem Dei intuens non dubitauit ob diffidentiam, sed robustam fidem habuit; dans gloriam Deo, & certissimè sciens, quod qui promiserat, posset etiam facere.

Vtinam Hismael uiuat coram te.)

Q. d. Cum summa gratitudine & letitia accipio, quæ promittis, Quia igitur ex Sara mihi datus es filium, Ismaelem quoq; non abijcias, sed sinas eum tibi curæ esse.

Vocabis nomen eius Isaac.)

Ebraicè יצחק IZHak risus, gaudium, à uerbo צחק

Z • Circum



Circumcisio instituta est,

Anno Mundi	2047.
A Diluio	391.
Ætatis Abrahæ	99.
Ætatis Hismaël	13.
Post mortem Nohæ	41.

## C A P V T XVIII.

LOCI PRÆCIPVI.

- I. *De Hospitalitate seu Beneficentia & liberalitate.*
- II. *Testimonium de Mysterio Trinitatis.*
- III. *Allegoria trium Satorum Erimæ, proposita à CHRISTO STO Matth. 13.*
- IIII. *Repetitio promissionis de Tempore, continens doctrinam de Ecclesia, Quid sit, & quomodo colligatur & propagetur.*